

Michael Cobabus

**Programma quo ad Festum Natalitium Redemptoris Nostri Jesu Christi, pie & devote celebrandum grataq[ue] memoria recolendum, Cives Academici invitantur**

Rostochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735632235>

Druck Freier  Zugang



25  
67.

PROGRAMMA  
quo  
ad Festum Natalitium  
REDEMPTORIS NOSTRI  
JESU CHRISTI.

piè & devotè celebrandum  
gratâq; memoriâ recolendum,

Cives Academici invitantur:

propositum

RECTORE

MICHAELE COBABO,

Theol.D. & Profefs.Mathem.



ROSTOCHII

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LIX.

**M**ultum interest, ut presentis temporis festi-  
vitatem pie, devote & solemniter celebremus,  
ejusque beneficia, toti humano generi  
oblata, gratam recolamus memoriam. Hodie namque filius  
Dei unigenitus, & ex patre natus ante omnia secula,  
Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo  
vero genitus, non factus, consubstantialis patri, per  
quem omnia facta sunt, propter nos homines, & propter  
nostram salutem, descendit de caelo, & incarnatus  
est de Spiritu S. ex Maria Virgine. Quemadmodum  
Deus olim, ut Epistola ad Hebraeos loquitur,  
multifariam, multisque modis loquutus est patribus  
per Prophetas; ita quoque magnum hoc nativitatis  
Christi mysterium variis modis in Veteri Testamento  
humano generi aperuit. Noluit autem Deus,  
temporum dispensator sapientissimus, ut Christi  
natalis statim ab initio mundi & peccati existeret. Voluit  
ipse prius necessitatem illius recte cognosci & percipi,  
per conscientiarum de peccatorum multitudine & gravitate  
convictionem. Voluit animos mortalium ardenti illius  
desiderio tangi, sic tamen, ut interna spe infallibili  
nativitatis Christi aliquando futurae fulcirentur, ut  
erigerentur, adversus desperationem ex peccatorum  
conscientia, qua nisi per salutarem Christi adventum in  
carnem poterant tolli & removeri, quem propterea in  
vera fide & fiducia ineffabili expectabant desiderio.  
Primus omnium, qui humano generi hoc patefecit, est ipse  
Domi-

Dominus, creator & conservator omnium rerum,  
cui soli cognitum fuit hujus mysterii solatium. Hic  
primis parentibus astutiâ & crudelitate satanæ  
per legis transgressionem in infinitas miseras con-  
jectis, ex mera gratia lætissimum Messiaë natalem an-  
nunciat: Semen, inquit, mulieris contoret caput ser-  
pentis. Repetita est hæc promissio, verum multò cla-  
riùs, Patriarchæ Abrahamo, cujus fides ita commen-  
datur, & extollitur, ut credentium pater, à quo filii  
credentes longâ serie descenderent, appellaretur.  
Repetita est ejus filio & nepoti: repetita est Mosi,  
omnibusque Prophetis, qui populum variis modis  
afflictum atq; vexatum, salutari Christi adventu cre-  
xerunt. Quod verò Prophetæ omnes futurum uno  
ore prædixerunt, illud jam impletum esse, nobis,  
totiq; humano generi annunciat Angelus. Ne timea-  
tis, inquit, Ecce: annuncio vobis gaudium magnum,  
quod futurum est toti populo, quia natus est vobis  
hodiè Servator, qui est Christus Dominus. Reges  
aliiq; magnates, quantò sunt potentiores, tantò ma-  
jore pompâ introitum in civitatem parant & insti-  
tuunt. Præmittunt famulos, præfectos, currus, tibi-  
cines, ipsi stipantur satellitibus, exploduntur tor-  
menta, nihilq; intermittitur, quod introeuntis glo-  
riam, & dignitatem illustret & exornet. Nihil autem  
horum præ se fert Dei filius mundum hunc ingredi-  
ens. Nullus hic est exercitus, nulla vexilla, nulla ar-  
ma, nulli currus, nulla tormenta. Hic in propria ve-  
nit,

nit, sui autem ipsum non recipiunt. Qui universum,  
id quod est, in se complectitur, & cui omnes Reges  
debebant cedere, is ab omnibus desertus in stabu-  
lum intromittitur, ibiq; fascis involutus in aspero  
& duro jaceret præsepio. Sic tandem Verbum caro  
factum est, & splendor gloriæ, atq; expressa imago  
substantiæ Dei moderans omnia verbo potentia suæ,  
formâ servi assumptâ, in hunc mundum venit. Ob-  
stupefcit hic omnis creatura, quia simile quid non  
vidit, nec audivit ulla creatura. Interroganti, quo-  
modo Verbum, principii expers, & prius cunctis se-  
culis omniaq; complectens, caro sit factum, B. Chry-  
sostomus respondet: Verbum caro factum est, quo-  
modo autem factum sit caro, nescio. Miraris, quod  
nesciam? omnis creatura ignorat. Viderunt quidam  
Patres V. T. panem de cœlis stillantem, viderunt dul-  
cissimam aquam ex lapide durissimo scaturientem;  
viderunt securim natantem, solem in semita sua per-  
sistentem & retrogredientem: viderunt multa alia  
Dei omnipotentis miracula; nullis autem retro se-  
culis inde à condito mundo unquam antea visum &  
auditum; virginem Deum & hominem in una per-  
sona concepisse, & peperisse. Omnes itaq; piè & de-  
votè hic exclamantes illud Origenis repetimus: O  
ineffabile magnumq; sacrum! quis unquam ista au-  
divit? quis vidit talia? quis hoc excogitare potuit,  
ut mater virgo esset, & intacta generaret, quæ & vir-  
go permansit? Non venit pars unigeniti in corpore,  
nec

nec se divisit, ut & dimidius esset apud patrem, & dimidius esset in virgine; sed totus esset apud patrem, & totus in virgine, totus in sinu patris, & totus in humano corpore, non relinquens superna, venit quærere terrena, quæ in cœlis sunt, conservans, & quæ in terris sunt salvans, ubiq; omnipotens, in scissus, indivisus, totus totum tenet, totum implet, totum illustrat, & possidet. Et sicut est æternus filius patris ἀμῆτως, sic postea factus est filius hominis ἀπάτως, nec duo filii, sed unicus tantum. Veteres Germani, prolixo annorum spatio, nullum DEO templum aut aram ædificabant, quod dicerent, Deo injuriam fieri, si quis parietibus eum claudere præsumeret, nimisq; angustam fore divinitatem, si ad angusti corporis formam compelleretur. Quod verò ipsi arbitrabantur esse impossibile, & Deo indecorum, hoc possibile decorum fecit ineffabilis Dei erga genus humanum charitas. Nam portans omnia, inquit B. Augustinus, verbo virtutis suæ ab infirmitate portatur, qui terrâ, mari, cœloq; non capitur, intra unius corpusculi membra suscipitur. Verum enim verò quò magis mysterium hoc nativitatis Christi, & unionis personalis scrutamur, eò profundius illud, imò sublimius, captuq; difficilius esse confiteri cogimur. Illud igitur quamvis rimari non liceat, venerari tamen & piè admirari maximè decet. Non autem merita sed peccata & miseria nostra è cœlo Salvatorem in terram detraxit, ut pondus illud peccatorum im-  
porta.

portabile, quod nostra premebat dorſa, in ſe ita trās-  
ferri pateretur, ut noſtra peccata diceret ſua, & ut ſua  
expiaret. Mirabile ſanè & incomparabile genus Me-  
dicinæ, propter quam Medicus voluit ægrotare, &  
ægrotos ipſos, quibus ſalutis remedium procuravit,  
ſuâ decrevit infirmitate curare. Quemadmodum  
enim legis transgreſſio in paradifo facta, exitialis fuit  
toti mundo: per unum enim hominem peccatum  
in mundum introiit, & per peccatum mors: ita Chri-  
ſti nativitas humano generi, è ſtatu innocentia atq;  
integritatis in ſervitutis perpetuæ erga ſtulum detur-  
bato, ſalutifera & vivifica exiſtit, inq; Dei offenſam  
prolapſos, & afflictoſ erigit, & efficaci conſolatione  
confirmat. O ſuaviſſimum nativitatis Chriſti fru-  
ctum! Quid ab alienatis à vita Dei poteſt accidere  
dulcius, quàm per Chriſti nativitatem fide admitti  
ad thronum divinæ gratiæ, & in populo Dei cenſeri?  
Quid conſcientiis onere peccatorum intolerabili  
preſſis, & ſub iræ divinæ pondere deficientibus ſua-  
vius, quam audire dulciſſimam illam Angeli vocem:  
ne timeatis, Ecce annuncio vobis gaudium ma-  
gnum &c. Quid ſub tyrannide Satanæ & peccati ja-  
centibus obvenire poteſt jucundius, quàm ab iſta  
terribiſſima ſervitute liberari, inq; veram aſſeri liber-  
tatem? Quid nobis optabilius, quàm ad Deum Au-  
torem vitæ, & omnis beatitudinis fontem nativita-  
tis, Chriſti merito & virtute adduci, ut beati & glorio-  
ſi cum illo in æternum vivamus. Cum itaq; tam præ-  
clara

clara nobis beneficia Christus nativitate sua acqui-  
siverit, quorum partem seu primitias jam nacti su-  
mus, partem autem potissimam longèq; perfectio-  
rem in futura beatitudine exspectamus; quid red-  
demus nos DEO & Regi nostro Domino JESU  
CHRISTO pro tanta dignatione? Offeramus ipsi  
corpora nostra hostias viventes, hostias sanctas &  
placentes. Acclamemus & applaudamus nato Regi,  
& Spiritu exultantes canamus:

Pfallat altitudo Cæli:

Pfallant omnes Angeli:

Quicquid est virtutis usquam,

Pfallat in laudem Dei:

Nulla linguarum silescat

Vox, sed omnis consonet

Seculorum seculis.

Nemo nunc dormiat: Alter alteri dicat: transeamus  
usq; Bethlehem, & defixis intueamur oculis Verbum  
quod caro factum est, Verbum in quo habemus vi-  
ctoriam & pacem, quæ tantò est præstantior mundi  
pace, cunctisq; bonis terrestribus, quanto suavior,  
& amabilior est Deus omnibus creaturis. Veneremur,  
& osculemur Dei & Mariæ filium, Deum de  
Deo, & lumen de lumine. Sicuti sol luminare illud  
magnum, quod diem regit, mundum plus illumina-  
nat, quàm omnes aliæ stellæ & planetae simul in cælo  
existen-



existentēs; ita lūmēn hodiē exortum magis exhi-  
larat & beatam facit animam, quam omnium bono-  
rum, quæ in mundo sunt possessio; Hic itaq; dies  
est, quem vivere & videre Patriarchæ sanctiq; Patres  
anxiè desiderarunt, in cuius spelætati sunt, sicut ex-  
ultans in messe, & victor spolia distribuens. Alius in  
scala cœlesti: alius in rubo virenti & ardenti: alius  
in radice Jesse hunc diē prævidebat, & in eo sese  
oblectabat. Horum unusquisque insistat vestigiis,  
& vanitates, atq; delicias hujus sæculi omni conatu  
aversans Christi suavissimo jugo sese submittat, ut in  
omni certamine adversus mundum, diabolū, pra-  
vamq; concupiscentiam suscepto, efficaci Salvato-  
ris virtute victoriam reportet, veraq; animi tran-  
quillitate gaudeat. Cogitemus, duas esse horas ma-  
ximè notabiles, & diverso in Scriptura notari lapil-  
lo: altera jam dudum venit: altera mox veniet.  
Celebremus igitur hic Christi natalitia devotè & so-  
lenniter, ut ultima hora, quā mortui resurgent, &  
unusquisque propria dicta & facta ante incorrupti  
ac tremendi judicis tribunal deferet, nobis sit ho-  
ra lætitiæ & æternæ suavitatis,

P. P. ROSTOCHII 25. Decembris  
ANNO 1658.  
Sub Sigillo Rectoratus.



clara nobis beneficia Christus natus  
siverit, quorum partem seu primi-  
mus, partem autem potissimam le-  
rem in futura beatitudine exspecta-  
demus nos DEO & Regi nostro  
CHRISTO pro tanta dignatione  
corpora nostra hostias viventes,  
placentes. Acclamemus & applau-  
& spiritu exultantes canamus:

Pfallat altitudo Cæli  
Pfallant omnes Angeli  
Quicquid est virtutis  
Pfallat in laudem Dei  
Nulla linguarum sil-  
Vox, sed omnis con-  
Seculorum secu-

Nemo nunc dormiat: Alter alteri  
usque Bethlehem, & defixis intueamur  
quod caro factum est, Verbum in-  
carnatum & pacem, quæ tantò est præ-  
pace, cunctisque bonis terrestribus  
& amabilior est Deus omnibus cre-  
aturis, & osculemur Dei & Mariæ  
Deo, & lumen de lumine. Sicuti  
magnum, quod diem regit, mun-  
dat, quàm omnes aliæ stellæ & plan-

acqui-  
acti su-  
fectio-  
id red-  
JESU  
us ipsi  
ctas &  
o Regi,

am,

eamus  
erbum  
nus vi-  
mundi  
avior,  
enere-  
tum de  
re illud  
llumi-  
n celo  
xisten-

